

Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Liber 2, distinctio 3, circa 4, quaestio 1. (fol. 7va)²

Utrum angelus cognoscat per species aut per suam essentiam?

Primo³ quaero,⁴ utrum angelus cognoscat per species aut per suam essentiam? Et quod per suam essentiam videtur, Dionysius, *VII De divinis nominibus*,⁵ angeli sciunt omnia, quae sunt in terra secundum primam mentis naturam. Sed eorum natura non est aliud quam eorum essentia.

Item, Augustinus, *IX De trinitate capitulum X*,⁶ dicit, quod notitia non est accidens menti. Sed illud, quo mens cognoscit, est notitia. Species vero est aliud a mente, ergo etc.

Item, potentior est natura spiritualis quam corporalis. Sed corporalis sine alia formae informatione elicit actum proprium et specificum, ergo poterit spiritualis natura. Sed actus proprius naturae intellectualis est intelligere, ergo etc.

Contra, Dionysius, *IV De divinis nominibus*,⁷ angeli illuminantur rationibus rerum. Sed rationes rerum sunt species, ergo etc.

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 3, c. 4, q. 1, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² This question is transcribed also in P. Efrém Longpré, *Nuovi Documenti. Per la storia dell' Agostinismo Francese*, in *Studi Francescani*, n. 3, 1923, 304–350. My transcription is the independent transcription, but I have consulted the transcription by Longpré. Differences between the transcriptions are indicated in the footnotes.

³ *tertio*, Longpré

⁴ *quaeritur*, Longpré

⁵ Dionysius, *De divinis nominibus* cap. 7.

⁶ Augustinus, *De trinitate* lib. 9, cap. 10.

⁷ Dionysius, *De divinis nominibus* cap. 4.

Item, necesse est potentiam cognitivam uniri cognoscibili. Sed hoc⁸ non potest fieri per essentiam, ergo fit per eius speciem.

Respondeo, dicendum, quod cum quaeritur, utrum angelis cognoscant per essentiam suam, potest esse duplex intellectus secundum quod haec determinatio 'per essentiam' potest intelligi a parte praedicati, et tunc est sensus quod angelus cognoscat res per essentias ipsarum. Et sic non quaerit haec quaestio. Aut potest intelligi a parte subiecti, et est sensus quod angelus per essentiam propriam habeat cognitionem de rebus. Et hoc potest dupliciter intelligi. Aut ratione medii, ita quod sua essentia sit ei ratio cognoscendi eo, quod est similitudo et ratio expressiva rerum cognitarum, sicut dicitur in Deo esse. Aut in ratione principii, ita quod aliquod eius principium essenziale sit causa et principium actum cognoscendi. Et isto modo non est inconveniens, immo est necesse. Nihilominus tamen requiritur species, ut communiter dicitur. Sed requiri species duobus modis esse potest, quia aut quod species sit ratio formalis intellectui nostro et causa [ali]quo⁹ modo cognoscendi, et ab ista specie informante intellectum producat actus intelligendi sicut suus effectus. Et isto modo communiter ponitur. Aut potest esse quod species sit ipsa cognitio essentialiter, non effectus causatus, sicut illi dicunt, ita quod rem aliquam cognoscere non est aliud quam eius speciem habere vel efficere. Et isto modo placet quibusdam aliis.

Primi volunt, quod illa species causetur ab aliquo extrinseco, ita quod potentia ad hanc inpressionem se habet solum ut passiva et non ut agens. Ita quod aliquando fit ab obiecto mediate vel immediate praesente, et dicitur tunc species acquisita. Aliquando vero fit ab alio agente et imprimente potentiam ad similitudinem rei cognoscibilis. Et tunc si fiat ab initio creationis potentiae cognoscentis, dicitur species innata sive concreata. Si autem postea ei adveniat, dicitur species inpressa, ut dicitur¹⁰ revelationibus sanctorum, prophetarum. Sed secundi non ponunt talem speciem fieri vel imprimi ab obiecto extrinseco, quia non ponunt obiecta agere in animam, sed potius animam in se

<7vb>
ipsa. Et ideo species non imprimitur¹¹ ab extrinseco, sed potius potentia exprimit eas in se assimilando se rei extrinsecae, sicut vult Augustinus, *VI Musicae*¹² et *XII Super Genesim*,¹³ ubi dicit, quod res non agunt in animam, sed anima in seipsam. Et ad hoc moventur doctrina sanctorum et maxime Augustinus, licet ipse idem videtur esse pro alia¹⁴ positione in aliis locis. Sed ubi hoc dicit, non dixit ex principali intentione, quia alibi, ubi de hoc specialiter tractat, dicit contrarium. Unde, *VI Musicae*,¹⁵ ex intentione principali probat res exteriores non agere in animam, nec animam pati ab eis. Ergo, species non imprimuntur¹⁶ ab

⁸ haec, Longpré

⁹ Add in marg. *ali*

¹⁰ Scripsit sed del. *?? inesse*, Longpré

¹¹ *imprimuntur*, Longpré

¹² Augustinus, *De musica* cap. 5.

¹³ Augustinus, *De Genesi ad litteram libri duodecim* lib. 12.

¹⁴ Scripsit sed del. *pro alia*

¹⁵ Augustinus, *De musica* cap. 5.

¹⁶ *imprimuntur*, Longpré

obiectis.

Item, idem dicit, *XII*¹⁷ *Super Genesim*¹⁸ et¹⁹ *De trinitate quaestio*²⁰ (sic) *capitulum X*,²¹ et *XI*,²² et *XII*, vocat notitiam similitudinem recta praedicatione, ex quibus vult, quod species non sit ratio cognoscendi sed ipsa cognitio.

Idem vult Anselmus, *Monologion*,²³ ubi dicit, nullo modo potest negari, cum mens rationalis se ipsam cogitando intelligit, imaginem sui nasci in cogitatione sua, immo ipsam cogitationem sui esse imaginem suam.

Moventur etiam rationibus quarum una est haec. Dicunt enim potentias apprehensivas et praecipue intellectivas naturalis(?)²⁴ esse activas et non passivas per se, quia si formae inquantum tales competit agere, si hoc competit formae corporali, magis convenit spirituali, quae est efficacior respectu actus sui proprii et specifici. Nam formae corporali ratione suae actualitatis non competit pati nisi per accidens. Sed magis hoc convenit spirituali formae, nam si potentia intellectiva pateretur ab obiecto, potius deberet dici, quod obiectum intelligeret quam intellectus.

Item, omne agens agit actum suum proprium et naturalem per formam sibi propriam et naturalem, quae est ei ratio agendi, quia actus et operatio cuiuslibet agentis est ab eius forma. Ergo necesse est actum diversificari per varietatem formarum. Sed constat quod intelligere est proprius actus intellectus et sibi naturalis et essentialis, ergo oportet quod intelligat per formam sibi essentialem. Sed talis non potest dici forma inpressa, quae sit ratio intelligendi, immo intellectus per se intelligit sine omni tali inpraessione.

Item, species est illud quo immediate et primo potentia cognoscens coniungitur cognito, etiam secundum sententiam eorum, quia non per aliud ponunt rem esse in intellectu nisi per speciem suam, nec ei unitur nisi per suam speciem. Sed illud²⁵ quo primo et immediate coniungitur intellectus rei intellectae est eius operatio sive actus. Non enim potest dici, quod antequam intelligat sive cognoscat, quod ei uniatur. Ergo species est actus intellectus.

Item, forma intentionalis non est ratio agendi suo subiecto, quia iam aer videret. Sed species in intellectu non est forma realis sed intentionalis, etiam secundum omnes. Quod patet, quia si illud, quod est in medio, est intentionalis, multo fortius postquam deducta est in sensu et postea in fantasia, deinde in intellectu. Ergo, si species est forma non realis sed intentionalis, non potest per illam agere nec esse ratio intelligendi. Ergo, patet quod species est in intellectu, sed non facit ipsa actum intelligendi,

¹⁷ Scripsit sed del. *de*

¹⁸ Augustinus, *De Genesi ad litteram libri duodecim* lib. 12.

¹⁹ *x*, add. Longpré

²⁰ om. Longpré

²¹ 5, Longpré

²² *XI*, Longpré

²³ Anselmus Cantuariensis, *Monologion* lib. 1, cap. 33.

²⁴ *vere*, Longpré

²⁵ *illo*, Longpré

sed potius est ipsa intellectio sive actus.

Si²⁶ vero contra istum modum opponatur sic, actus non est nisi dum agens agit. Ergo, si species est actus potentiae, quando potentia non agit, desinet esse actus, et ita non habebit²⁷ in intellectu speciem, et per consequens nec scientiam, quod falsum est.

Item, si species est actus et non est actus obiecti sed potentiae, ut dicis, ergo male dicitur intellectus habere speciem rei vel per speciem rei²⁸ ita²⁹ intelligere, sed potius debet dici intelligere per speciem sui. Et ex hoc sequitur, quod non intelligat aliud a se, sed seipsum, quod falsum est.

Item, omnis similitudo fundatur super aliquam formam et qualitatem. Sed, ut tu dicis, species dicit assimilationem potentiae ad obiectum. Ergo oportet, quod species sit aliqua forma et qualitas, quod videtur negasse.

Item, si intellectus est potentia activa et intelligere est agere,³⁰ cum agentia naturalia non inprimant species suas in se, sed po[tius]³¹ in passo, et³² sic videtur, quod species non sit in potentia cognoscente per actum cognitionis, sed in obiecto.

Ad primum, dicendum, quod si verba positionis intelligantur, non occurrit dubium. Nam secundum Augustinum et Philosophum, aliud est scire, aliud est considerare, quia scire est primus actus potentiae scientis, habens se <8ra> per modum habitus, et est in memoria et forma et actus eius, non actus fluens, sed quietus et manens, qui dicitur scientiae habitus. Considerare autem dicit actum ut actum fluentem et non manentem a potentia, qui actus dicitur species, quae obiecti apprehensio est vel prius apprehensi recordatio.

Ad secundum dubium, dicendum, quod ille actus fit ab intellectu assimilante se obiecto et non sibi. Propter quod debet dici actus obiecti, quia similitudo obiecti est, non intellectus facientis, licet non fiat ab obiecto. Unde intellectus dat esse ei et speciem effective, sed obiectum quasi formalem rationem.

Ad tertium dubium, dicendum, quod [non]³³ negatur quin illa species sit aliqua qualitas. Immo bene est qualitas ut quiescens ille actus primus, qui est habitus memoriae. Sed ille, qui est actus ut actus, est qualitas fiens, et iste dicitur actus, qui est considerare.

Ad quartum, dicendum, quod differt

²⁶ Add. in marg. ??

²⁷ Scripsit sed del. *esse*

²⁸ *rerum*, Longpré

²⁹ om. Longpré

³⁰ *agens*, Longpré

³¹ Add. in marg.

³² om. Longpré

³³ Add. in marg.

actio naturalis et animalis, quia actio naturalis appropriatur agentibus sine cognitione et apprehensione. Et talia agentia agunt ad perfectionem patientium, et ideo est impressio quaedam ab agente in passio, quia agens naturale intendit assimilare patiens, quod facit per suae similitudinis impressionem. Actio vero animalis est quae fit ab agente non assimilante sibi patiens, sed potius e converso assimilando se obiecto sive passo. Et haec passio non ordinatur ad perficiendum passum, sed potius ipsemet agens. Et quia intendit se ipsum perficere, non inprimit speciem suam in obiecto, sed potius speciem obiecti inprimit sibi in ipsa memoria, quae, ut sit recipiens, est passiva aliquo modo.

Ad primum argumentum in

contrarium, dicendum, quod Dionysius per illud verbum non intelligit nisi quod angeli cognoscunt res sensibiles, non³⁴ sensibiliter nec per sensum, sed per mentem et intellectualiter,³⁵ et non sicut nos.

Ad secundum, dicendum, quod illud verbum Augustini varie exponitur a diversis. Ad praesens autem sufficit, quod illa notitia dicatur esse menti non accidens, quia est suus actus naturalis divisus contra accidentalem.³⁶ Vel accipit notitiam pro parte animae formali, et sic non dicit aliud a sua potentia cognitiva.

Ad illud quod est pro alia parte, dicendum, quod angeli illuminantur rationibus rerum non scilicet recipiendo sed agendo suos actus, qui sunt quaedam illuminationes intellectus, qui etiam sunt rationes rerum, quia rerum et earum conditiones³⁷ apprehensiones.

³⁴ *nec*, Longpré

³⁵ *intellectum aliter*, Longpré

³⁶ *actum talem*, Longpré

³⁷ *conditionum*, Longpré